

habeat presentare. In premissorum testimonium sigillum reverendi domini domini Heinrici episcopi Numburgensis una cum nostro presentibus est appensum, quod nos Heinricus dei gratia episcopus ecclesie Nuemburgensis predictus in signum commissionis per nos facte scolastico supradicto et in testimonium predictorum omnium presentibus duximus apponendum. Testes sunt honora[ti] viri dominus Wernherus decanus, Johannes de Vichtenbergk canonici^{b)}, Conra[dus] de Smolne, Conra[dus] de Gera, magister Gerhardus vicarii perpetui ecclesie^{f)} Ciczensis et alii fide digni. Datum et actum anno domini M^oCCC^o tricesimo, ydus aprilis.

a) das erste e über der Zeile nachgetragen (B₁) b) über der Zeile nachgetragen (B₁) c) iuris (B₁) d) folgt gestrichen silla- (B₁) e) -ve- im Wort gestrichen (B₁) f) (B₂), fehlt (B₁)

72. *Bischof Heinrich (I.) von Naumburg genehmigt die Anstellung eines ewigen Vikars für die Pfarrkirche in Zwickau durch das Nonnenkloster Eisenberg und setzt die der Kirche zustehenden Einkünfte fest.*

1330 April 24

Original nicht zu ermitteln. — Edition: Herzog, Gesch. des Zwickauer Gymnasiums, S. 153–155. — Regest: Regesten Eisenberg, S. 348, Nr. 91. — Zur Sache: Kahleyß, Bürger und Kirche, S. 183 f., 385, 485.

Noverint universi presentium noticiam habituri, quod veniens coram nobis Heinrico dei gratia episcopo ecclesie Nuenburgensis discretus vir Theodericus de Bennendorf, prepositus sanctimonialium in Ysenberg nostre diocesis, exposuit, quod antecessores sui et ipse usque in presens curam animarum ecclesie parochialis in Zwickowe, que longe retroactis temporibus eidem monasterio annexa fuerat, sicut in instrumento primeve fundacionis et alias legitime apparet, habuerunt. Quod idem prepositus conscientie sue onerosum existimans et saluti animarum minime expedire, nobis humiliter supplicavit, sibi circa hoc pro exoneracione conscientie sue oportunum remedium exhiberi. Nos itaque utilitati monasterii et saluti animarum providere cupientes, supplicacioni eiusdem prepositi nec non priorisse et conventus predicti monasterii annuentes auctoritate diocesana communicato etiam ad hoc honorabilis viri Heinrici de Nebere pincerne archidiaconi loci consensu sic matura deliberacione prehabita presentibus perpetuo valituris duximus ordinandum, ut in eadem ecclesia parochiali in Zwickowe perpetuus in antea instituat vicarius, qui ad presentacionem prepositi, qui pro tempore fuerit, curam animarum ab archidiacono loci recipiat, hospitalitatem servabit, iura prepositi, episcopalia et archidiaconalia exsolvet et omnia onera incumbencia supportabit et ad moderacionem nostram pensatis facultatibus ipsius ecclesie iuxta statum presentis temporis [habebit], videlicet duobus len agrorum terre aratorie, tribus pratis situs iuxta pagum et rivulum Wizenburnen, triginta sexagenis decimarum siliginis et avene, decem et octo modiis siliginis decimacionis in villa Crozene, in Buckewen et in civitate, duabus marcis in denariis missalibus et de cistis, item dimidio fertonis, qui worfczins dicitur, et oblacionis ecclesiarum in Zwickowe et capellarum ad eas spectantium eidem monasterio duodecim marcas